



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119177**

§. 88. Principum, atque Illustrium obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](#)

nantibus præstarent: Enituit quoque Sæc. XVII.  
erga pauperes peregrinos eximia Car- A.C. 1650.  
dinalium, ceterorumque Principum  
liberalitas.

### §. LXXXVIII.

#### *Principum, atque Illustrium obitus.*

**C**lausit hoc anno extremum diem Ferdinandus Bavariæ Dux ac Coloniensis Archiepiscopus, & Sacri Romanî Imperii Elector. Hic anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo septimo ex Guilielmo Bavariæ Duce & Renata Lotharingia natus, post Ernetti Patrui obitum anno hujus sæculi duodecimo Coloniensem Archiepiscopatum, & postea Leodiensem, Monasteriensem, & Hildesheimensem, & Paderbornensem Episcopatus obtinuit, unde per jocum Quinque - Ecclesiensis Episcopus nominabatur, omnes tamen hasce Ecclesias per annos fere octo & triginta verus Pastor paterna prorsus follicitudine rexit, ac Clerum habitis Synodis Diæcesanis, ac saluberrimis præceptis, necnon populum verbo & opere ad meliorem frugem reduxit. Successorem habuit Maximilianum ex fratre Alberto Nepotem, Coadjutorem suum: Monasteriensem vero Christophorus Baro de Gehlen, & Paderbor-

Xx 2 nen-

*Jæger. hist.*  
*Eccl. l. 10.*

*cap. I.*  
*Bougeant*  
*Hist. Beli.*  
*tric. tom. 4.*

*pag. 19.*

**Sæc. XVII.** nensem Theodorus de Reck obtinuit.  
**A. C. 1650.** Eodem anno, quo Guilielmus II. Prin-  
 ceps Orangius ac foederati Belgii Gu-  
 bernator, cum se populari Regimini  
 subjectum esse doleret, instigante Ma-  
 ria Angli Regis Filia ac Conjuge sua,  
 supremum imperium sibi assertere af-  
 fectabat, & propterea Amstelodamen-  
 ses, qui eidem potentius restiterant,  
 armis subigere parabat, die sexta No-  
 vembri, propinato, ut creditum, ve-  
 neno, Hagæ Comitum vitam, amplio-  
 risque Regiminis spem amisit, reicta  
 Vidua prægnante, quæ octiduo post  
 enixa est Filium Guilielmum III. quem  
 ejusque posteros Cronwellus tertio post  
 anno a Gubernatoris munere in per-  
 petuum excludi voluit. Decessit etiam  
 Parisiis Dux Engolismensis Caroli IX.  
 Galliarum Regis Filius annos natus  
 octoginta octo: ibidem quoque Clau-  
 dius Memmius Comes Avaussius mor-  
 talitatem exuit, qui Regis Gallici no-  
 mine ad pacem Monasterensem able-  
 gatus, a Servientio ejusdem Legatio-  
 nis socio tot criminationibus obrutus  
 fuit, ut suo munere privatus Osna-  
 bruga ad suas ditiones secedere jubere-  
 tur, ab Aulæ accessu prohibitus, eo-  
 quod Cardinalitiæ dignitatis spe fasci-  
 natus, ut defensæ Religionis gloriam  
 aucuparetur, neglecto rei Gallicæ stu-  
 dio

dio Romanæ Curiæ utilitatem procu- Sæc. XVII.  
rasset, Suecosque tanquam extirpan- A. C. 1650.  
dæ fidei Catholicæ studiosos de-  
pinxit.

§. LXXXIX.

*Gaspar Mattheius Cardinalis  
mortuus.*

Hoc item anno Gaspar ex nobilissima *Ughell. Itat.*  
*Mattheiorum* stirpe progenitus, *Sacr.*  
die nona Aprilis Romæ obiit. Erat  
is Philosophicis ac Theologicis disci-  
plinis egregie imbutus, qui demum Ju-  
risprudentiæ laurea decoratus, a Pau-  
lo V. ad varia, eaque onerosa Roma-  
næ Curiæ officia adhibebatur, quibus  
tamen summa integritatis laude defun-  
ctus, primo Urbinatis Vice - Legatus,  
& in Æmilia Commissarius Generalis,  
postea Athenarum Archiepiscopus, &  
denique in Germania Sedis Apostolicæ  
Nuntius nominabatur; inde vero rever-  
sus ab Urbano VIII. Cardinalium Col-  
legio cooptatus, in variis Congrega-  
tionibus suæ doctrinæ ac solertiæ præ-  
clara edidit specimina: tandem vero  
laboribus fractus, gravibusque ac diu-  
turnis morbis consumptus, anno æta-  
tis sexagesimo tertio rebus humanis  
valedixit.

Xx 3

§. XC.